

Genesis 2:15-25

1

Tulit ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur, et custodíret illum :

praecepítque ei, dicens : «Ex omni ligno paradísi coméde; de ligno autem sciéntiae boni et mali ne comédas : in quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris.»

Dixit quoque Dóminus Deus : «Non est bonum esse hóminem solum : faciámus ei adjutórium símile sibi.»

Formátis ígitur Dóminus Deus de humo cunctis animántibus terrae, et univérsis volatílibus caeli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea :

omne enim quod vocávit Adam ánimae vivéntis, ipsum est nomen ejus.

Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, et univérsa volatília caeli, et omnes béstias terrae :

Adae vero non inveniebátur adjútor símilis

ejus.

Immísit ergo Dóminus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea.

Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem : et adduxit eam ad Adam.

Dixitque Adam : «Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.»

Quam ob rem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae : et erunt duo in carne una.

Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus : et non erubescabant.